descendam et videbo visionem hanc ma-
gnam, quare non comburatur rubus.
Cernens autem dominus quod pergeret ad viden-
dum vocavit eum de medio rubi
et ait. Moyses, Moyses. Qui respon-
dit, adsum. At ille. Ne appropies in-
quit huc. Solve calciamentum de
pedibus tuis. Locus enim in quo stas,
terra sancta est. Et ait. Ego sum deus
patris tui, deus abraham, deus ysaac,
et deus iacob. Abscondit moyses
faciem suam. Non enim audebat
aspicere contra deum. Cui ait dominus.
Vidi afflictionem populi mei in egyp-
to, et clamorem eorum audivi, propter
duritiam eorum qui presunt operibus. Et
sciens dolorem eius, descendi libe- ut
rarem eum de manibus egyptiorum et
educerem de terra illa ad terram bonam
et spaciosam, in terram que fluit lacte
et melle, ad loca chananei et ethei
et evei et amorrei, ferezei, et ie-
busei. Clamor ergo filiorum israel ve-
nit ad me, vidique afflictionem e-
orum qua ab egyptiis opprimuntur.
Sed veni mittam te ad pharaonem ut
educas populum meum filios israel de
egypto. Dixit moyses ad dominum.
Quis ego sum ut vadam ad phara-
onem, et educam filios israel de egypto?
Qui dixit ei. Ego ero tecum. Et hoc
habebis signum quod miserim te. Cum
eduxeris populum meum de egypto, im-
molabis deo super montem istum.
Ait moyses ad dominum. Ecce ego va-
dam ad filios israel et dicam eis. Deus
patrum vestrorum misit me ad vos. Si
dixerint mihi quod est nomen eius, quid dicam
eis? Dixit dominus ad moysen. Ego sum
qui sum, ait. Sic dices filiis israel.
Qui est misit me ad vos. Dixitque
iterum deus ad moysen. Hec dices fili-
is israel. Dominus deus patrum vestrorum, deus abra-
ham, deus ysaac, deus iacob misit
me ad vos. Hoc nomen mihi est in eternum,
et hoc memoriale meum in generati-
one et generationem. Vade congrega se-
niores israel et dices ad eos. Dominus deus
patrum vestrorum apparuit mihi, deus abraham,
deus ysaac, deus iacob dicens. Visitans

visitavi vos et omnia que acciderunt
vobis in egypto vidi. Et dixi ut e-
ducam vos de afflictione egypti in
terram chananei et ethei, et amorrei,
pherezei et evei et iebusei, ad terram
fluentem lacte et melle. Et audient
vocem tuam. Ingredierisque tu et se-
niores israel ad regem egypti et dices
ad eum. Dominus deus hebreorum vocavit
nos. Ibimus viam trium dierum per
solitudinem ut immolemus domino deo
nostro. Sed ego scio quod non dimittet vos
rex egypti ut eatis, nisi per manum vali-
dam. Extendam enim manum meam
et percutiam egyptum in cunctis mirabi-
libus meis que facturus sum in medio
eorum. Post hec dimittet vos. Daboque
gratiam populo huic coram egyptiis, et
cum egrediemini non exibitis vacu-
i. Sed postulabit mulier a vicina su-
a, et ab hospita sua vasa argentea
et aurea ac vestes. Ponetisque ea super
filios et filias vestras et spoliabitis
egyptum.

IIII
Respondens moyses ait. Non credent
mihi neque audient vocem meam. Sed dicent.
Non apparuit tibi dominus. Dixit ergo dominus
ad eum. Quid est quod tenes in manu
tua? Respondit, virga. Ait. Proice dominus
eam in terram. Proiecit, et versa est in
colubrum, ita ut fugeret moyses.
Dixitque dominus. Extende manum tuam
et apprehende caudam eius. Extendit
et tenuit, que versa est in virgam.
Ut credant inquit quod apparuerit tibi
dominus deus patrum tuorum, deus abraham
deus ysaac deus iacob. Dixitque dominus rursum.
Mitte manum tuam in sinum
tuum. Quam cum misisset in sinum,
suum protulit leprosam ad instar nivis.
Retrahe ait manum in sinum tuum. Re-
traxit et protulit iterum, et erat similis
carni relique. Si non crediderint in-
quit tibi, neque audierint sermonem
signi prioris, credent verbo signi sequen-
tis. Quod si nec duobus quidem signis
crediderint, neque audierint vocem
tuam, sume aquam fluminis et
funde eam super aridam, et quicquid
hauseris de flumine, vertetur in

License: public_domain – Toronto, ON, The Robertson Davies Library at Massey College, Gurney FF 0001, Recto – Biblia Sacra Latina, Versio Vulgata (https://fragmentarium.ms/view/page/F-a0bu/10328/75778)